et interpretatur angustia panis. uel unum uerbum est
et transfertur incendium. Chanaan uero in ca
nona idest motum uestrum aut certe negociator et hu
milis appellatur. Igitur transmigratio filiorum
israhel quando occidentem dimiserint litteram et
ad spiritum uenerint uiuificantem. mouebit cuncta
quae legis sunt. negotiabitur de multis marga
ritis unam preciosissimam margaritam. et deposi
ta iudeorum superbia. humilitatem sectabitur christi
anam. et illuc usque perueniet ubi antea fuit tri
bulatio panis. Et mulier uidua a suo condito
re deserta. pupillum filium uix alebat. et ubi
uniuersa illius peccata et uitia concrementur.
captiuitas autem siue transmigratio hierusalem
ubi quondam erat uisio pacis. et quae nunc in to
to orbe dispersa est possidebit ciuitates austri
id est ecclesias ueri et perfecti luminis. dicetque
cum sponsa penitens. ubi pascis ubi cubas in me
ridie et cum ioseph in antiquam germanitatem
recepta inebriabitur sanguine pastoris. et
principis quod si iuxta LXX ephrata legimus
nulli dubium est quin christum intellegat fides.
ephrata enim interpretatur καρποφορια
id est ubertas. et διωνυμος est appellatque
bethleem in qua ortus est caelestis panis.
Hi sautem ita gestis ascendent saluatores uel qui
saluati fuerint de reliquiis populi iudaici
in montem sion. ut iudicent et ulciscantur
montem esau. quomodo lumen dominus lucem ap
pellat apostolos suos et dicit uos estis lux
mundi. et ipse petra petro donauit ut pe
tra sit. Pastor quoque bonus illis pastorum largitus
est nomina. Et quodcumque dicitur seruis tribuit ut
dicantur. Sic ipse saluator apostolos suos mun
di esse uoluit saluatores. qui ascenderunt spe
cula montis ecclesiae. et deponentes superbiam
iudaicam uniuersorumque montium quae aduersum
scientiam dei erigebantur. regnum domino parauerunt.
Haec ad duas lucubratiunculas ueterum
auctoritatem secutus. et maxime expositionem
hebraicam propero sermone dictaui. Aperuique
os meum sed nescio an illud christus impleuerit. Un
de sapiens lector sensuum magis debet consequen
tiam quaerere. quam eloquii uenustatem. Neque
enim ea leuitate et compositione uerborum dicta
mus ut scribimus. Aliud est mi pammachi sae
pe stilum uertere. et quae memoria digna sint scri
bere. aliud notariorum articulis praeparatis pudore
reticendi dictare quodcumque in buccam uenerit.
In hoc propheta et adulescentuli lusimus et senes
praesumpsimus. qui ueriora et meliora dixerit
in illius sententiam transgredere.

## EXPLICIT EXPLANATIO IN ABDIAM PROPHETAM. INCIPIT IN MICHEAM.

Micheas in quem nunc commentarios dictare cu
pio in ordine XII prophetarum secundum LXX in
terpretes tertius est. secundum hebraicum sextus. et se
quitur ionam prophetam qui succedit abdiae. atque
ita fit ut tertius sit amos. et iohel secundus post
osee. qui apud omnes primus est. Ergo quasi in cor
de uoluminis positus debet profunda continere
mysteria. et sermo domini qui semel descendit ad prophe

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc254/0260